Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 433
Quelle:
Copyright:

Arbores nostras *Genealogicas* refert, eisque fortasse prolusit, ut visum etiam Conditoribus *Hist. literar. Franciae* T. IX. p. 159. et 189. Praefamen incipit: *Considerans historie sacre prolixitatem nec non difficultatem scolarium* &c. Edidit illud *Huldricus Zwinglius* nepos an. 1592. *Basileae f.* quod Notas Schematum latera stipantes adtinet, *Codice* nostro uberius; sed harum aliquae succedentibus annis addi facile potuere. Noster vero Figuras quasdam, puta XL. *Mansionum in Deserto, Divisionis Palaestinae, Ichnographiae Hierosolymarum* et Versus quosdam de *Christi prosapia* exhibet, qui in Exemplo *Zwinglii* defuisse videntur. De Autore hic in Praef. nihil memorat, nisi illum floruisse anno *trecentesimo* aut *quadringentesimo*, in quo falsus est, quemadmodum *Oudinus T. II. col.* 1274. et qui ad hunc remittit, *Fabricius Bibl. med. Lat. L.* XV. p. 271. Epitomen nostram *Petro Pictaviensi* Monacho et Priori *Cluniacensi* tribuentes, cum tamen utrique notum fuerit *Alberici* supra adducti testimonium, cui, cum *Petro* nostro *Cancellario* paene subpar fuerit *Albericus*, nil opponas. Sub Genealogia *Christi* adjectum est manu Seculi XV. *Sequitur consequenter de successione Christi vicariorum in spiritualibus. s. paparum. et in temporalibus. s. imperatorum vsque ad annum domini M. CCCC. LXIII. sub quo pius papa secundus. et fridericus imperator tercius regunt mundum.* Itaque III. *fol.* 18. *Anonymus* quidam anno mox dicto *Seriem Pontificum et Imperatorum* adtexuit praemissis quibusdam observationibus de *Quinque Mundi Aetatibus ante Christum, de duplici Christianorum gladio,* quorum unus, ut ait, cessit Pontifici, alter Imperatori et *de Temporum a Christo distributione,* quae ultima sic sonat: *Cum igitur a christi natiuitate vsque ad hunc annum s. sexagesimum tercium effluxerunt Quatuor decies centum anni et sexaginta tres. sicque hoc anno loco christi in spiritualibus regit papa pius secundus. et in temporalibus imperator sit fredericus tertius de austria. Placet pro intensiori memoria legentium diuidere tempus de hac sexta etate transactum in quinque partes. sicud ante christum fuere quinque etates. Sic quod de quatuor decies centum annis fiant quatuor quarteria sub quolibet quarterio 350 annos computando, et illi sexaginta tres anni pro quinto quarterio reputabuntur. Primum enim quartale incipe a primo christi vicario sancto petro. et conclude ad felicem secundum exclusive. Petri concurrens imperator fuit tiberius sub quo Christus ascendit et continua donec concludas per constantinum secundum. Secundum quartale incipe a predicto felice secundo. vsque ad papam iohannem sextum. Et a constantino secundo conclude per tiberium tertium. Tertium quartale incipe a iohanne sexto ad clementem secundum. Et a tiberio tertio conclude per henricum tertium. Quartum incipe a clemente*